

villo per plures annos. Juxta hos mihi hoc anno enata est planta hybrida, quæ agnoscit Veronicam matrem et Verbenam patrem. Ita similis est Verbenæ ut demtis floribus vel maxime Lynceus ipse DD. Jussieu juraret esse Verbenam; at flores omnino sunt Veronicæ, at corollæ non majores corollâ Verbenæ; cætera Veronicæ omnia, ut pistillum, stamina. Folia in caule plerumque duo opposita, sed summa folia infra spicam terna sunt ut in Veronicâ. Folia lata sunt ut in Verbenâ; similiter secundum vasa sulcata et singulari modo laciniata uti Verbenæ, ut demtis foliis nullus distingueret folia a Verbenâ. Floruit egregie hoc anno, et Glaux et Veronica et Verbena juxta positæ fructus maturabant, hæc planta tamen fructum non maturavit, sed germina non majora quam in flore, contabescunt; at radix vivax esse videtur; nescio utrum unquam exstitit par exemplum de certitudine plantarum hybridarum, earumque existentia.

His vale et fave tuo cultori.

Dabam Upsaliæ 1750 d. 12 Sept:

ILLUSTRISSIMO BOTANICO
DD. BERN. DE JUSSIEU,
PROFESSORI PARISINO,
S. PI. D.
C. LINNÆUS.

HAS non mitto literas ut Tibi, Illustrissime Domine, oneri sit tabellarius; sed ut tester continuo quanti Te faciam, et ut fungar officio, quum me receperis correspondentem Regiæ vestræ Academiæ.*

Quum nihil habeam hac vice quod scribam ex propriis observatis, mittam quæ discipuli mei detexere, quorum unus *Kalmius* in Virginîa hærens, alter *Hasselquist* in urbe Cairo Ægypti, tertius nuper petiit Chinam nomine Osbeck.†

* Dum Lutetiæ, imo Academiæ, adesset, fuerat electus ut ipse narrat in Djario: “On the 14th of June (1738), Linnæus requested Du Fay, at that time chairman, to obtain permission for him to attend the Academy of Sciences; when the sitting was over, Linnæus was told to wait a little while, and was afterwards informed that the Academy had chosen him a corresponding member.”

† Petrus OSBECK, præpositus et pastor in Hasslöf, historiæ naturalis studio impulsus, capellani munus in nave Suecicâ suscepit Chinam petente, quam invisit, ut et Indiam, Jayam et Ascensionem insulas. Multa inde, post tres annos redux, reportavit et Linnæanum herbarium sexcentis plantis ditavit, quorum multa serius (1757) nota fecit in narratione itineris (*Dagbok öfver en Ostindisk Resa åren 1750 – 1752*), cuius versiones prodiere, Germanica (1765) et ex præcedente Anglica (*A Voyage to China and the East-Indies*, 1771) auct. J. R. Forster.